

**De acrothymio, tumoris speciei minus cognita : dissertatio inauguralis medica ... / auctor Fridericus Otto Beeck ; adversariorum partes susceperunt Hugo Pernice, Otto Joswich.**

**Contributors**

Beeck, Friedrich Otto, 1827-  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Halis Saxonum : Formis expressum Gebaueriis, [1852]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/assxvu4r>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

6 6

DE  
**ACROTHYMIO, TUMORIS SPECIE MINUS COGNITA.**

---

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

VENIA ET AUCTORITATE

**GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS**

IN ACADEMIA HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD SUMMOS

**IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES**

RITE ADIPISCENDOS SCRIPSIT

ET DIE V. M. APRILIS A. MDCCCLII

UNA CUM THESIS PUBLICA DEFENDET

AUCTOR

**FRIDERICUS OTTO BEECK**

BORUSSUS.

---

ACCEDIT TABULA LITHOGRAPHICA.

---

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:

**HUGO PERNICE**, MED. ET CHIR. D.D.

**OTTO JOSWICH**, MED. ET CHIR. D.D.

---

**HALIS SAXONUM,**

FORMIS EXPRESSUM GEBAUERIIS.





**VIRO**

**PERILLUSTRI EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO**

**ANTONIO FRIDERICO HOHL,**

**MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO, SCHOLAE  
OBSTETRICIAE DIRECTORI**

**PRAECEPTORI PIETATE COLENDO**

**HASCE STUDIORUM PRIMITIAS**

**AFFERT**

**AUCTOR.**





Digitized by the Internet Archive  
in 2016

<https://archive.org/details/b22297297>

## SYNONYMA.

**N**aevus verrucosus; naevus mollusciformis, molluscum simplex, verruca carnea, verruca mollusca, verruca madida, Quendelwarze.

## HISTORIA.

Jam Celsus\*) compluribus in tumoribus cutaneis bonae indolis describendo versatur, quos etsi propter magnam similitudinem cum verrucis comparat, tamen minime negat, et ab illis magnopere discrepare, et simul inter se aliquam differentiam praebere, unde varia eorum nomina „acrochordon, acrothymion, myrmecia“ repetuntur. Quibus quidem de generibus eorumque discrimine ita sententiam enuntiat: „Sunt vero quaedam verrucis similia, quorum diversa nomina, ut vitia sunt: acrochordon, thymium, myrmecia, clavus.

Acrochordon vocant, ubi sub cute coit aliquid durius et interdum paulo asperius, coloris ejusdem; infra ad cutem tenue, id supra latius, idque modicum est, quia raro fabae magnitudinem exit. Vix unum eodem tempore nascitur, sed fere plura, maximeque pueris: eaque nonnumquam mediocrem inflammationem excitant; sunt, quae etiam in pus convertuntur.

Acrothymion nominatur, quod super corpus quasi verrucula eminet, ad cutem latius, supra tenue, subdurum et in summo perasperum. Id, qua summum colorem floris thymi repraesentat, unde ei nomen est. Ibique facile finditur, et cruentatur. Nonnumquam aliquantum sanguinis fundit, fereque circa magnitudinem fabae aegyptiae est, raro majus, interdum perexiguum. Modo autem unum, modo plura nascuntur, vel in palmis, vel in inferioribus pedum partibus, pessima tamen in obscoenis sunt, maximeque ibi sanguinem fundunt.

---

\*) Cornelii Celsi de medicina libri octo. (Lugduni Batavorum.) Lib. V. Cap. 28.



*Myrmecia* autem vocantur humiliora thymo durioraque, quae radices altius exigunt majoremque dolorem movent, infra lata, supra autem tenuia, minus sanguinis mittunt: magnitudine vix umquam lupini modum excedunt. Nascuntur ea quoque aut in palmis, aut in inferioribus partibus pedum.

*Clavus* autem nonnumquam quidem etiam alibi, sed in pedibus tamen maxime nascitur, praecipue autem ex contuso, quamvis interdum aliter: doloremque etiamsi non alias, tamen ingredienti movet.

*Acrothymio* clavoque excisis, subrotunda radícula nascitur, quae penitus descendit ad carnem: eaque relictā, idem rursus exit. —

Quodsi quaesieris, quod recentioris aetatis auctores ea de re senserint, apud hos eadem appellationes adhibentur, iisque nominibus ad rem accuratius exprimendam blasmata verrucarum similia significantur, quorum a propriis verrucis differentia in eo maxime posita est, quod non ita, ut haec extremae, epidermide concrassata et cornea quidem coopertae sunt, sed epidermidem tenuem et mutationis omnis expertem integumentum habent; insuper quod eandem plane et normalem sensibilitatem praebent, qua ipsa cutis utitur, eamque ob causam non ita, ut in verrucis recte fit, degenerationis corporis papillaris sed ipsius cutis videri debent. Verumtamen nulla est earum appellatio, de qua omnes docti viri consentiant: quapropter vel pristina nomina multifariam usurpantur, vel isti tumores cum aliis structurae in cute mutationibus, in primis cum naevo et molusco copulantur.

Turner \*) hosce tumores verrucarum similes ita commemorat, ut iis nomen *jonthis* (ἄζυγη, ῥοιθον) imponat, simulque diligenter similitudinis ejus mentionem faciat, quae inter structuram illorum et condylomatum intercedat.

Lorry \*\*) istud malum eidem capiti subjunctum adumbrat, idque nomine *Quendelwarze* significat. Qua in re exponenda eos praecipue tumores istius generis vel maxime difficiles et pertinaces sibi visos esse asseverat, qui crinium multitudine larga hirsuti fuerint. Ad eos autem removendos hortatur, ut optima caustica remedia adhibeantur, ita tamen ut magnopere cavendum sit, propterea quod, si minus cautus fueris, facile in indolem carcinomatosam vel gangraenosam transire possint.

Plenk \*\*\*) eos ita depingit, ut verrucas carneas sive molluscas esse ostendat: singulos autem tamquam colliculos apparere molles, valde sensibiles, quorum color a

\*) Turner: Abhandlung v. d. Krankheiten der Haut. Aus dem Englischen. Altenburg 1766. pag. 466.

\*\*) Lorry: Abhandlung v. d. Krankheiten der Haut. Aus dem Lateinischen v. Held. Leipzig 1779. II. 266.

\*\*\*) Plenk: Lehre v. d. Hautkrankheiten. Aus dem Lateinischen. Wien 1789.



cutis specie nihil omnino discrepet, vel etiam subrubros ac saepenumero crinibus hirsutos. Hunc quidem in locum madidae illae verrucae, quarum is mentionem fecit, videntur referendae esse.

Recentissima quidem memoria, quum rationes structurae, quae morbis cutaneis effici solent, perscrutationibus microscopii ope institutis melius et accuratius illustratae sunt, his quoque formis disquirendis viri eruditi et usu experti animos magis adverterunt; atque Rayer, Lessing, Kraemer, Simon, de Baerensprung, Führer ejusmodi tumorum cutis genus dilucidius descripserunt, in quo indolem acrothymii, cujus Celsus fecit mentionem, facile agnoscere possis, cujusque natura in eo posita videtur, ut tela fibroides in ipso corio se evolvat, qua in re folliculi pilorum, glandulae sebaceae et sudoriferae eodem tempore prava evolutionis hypertrophicae conditione utuntur. Plerique horum scriptiorum tumores eos, qui huc pertinent, nomine generis „naevi“ conferunt eosque ut naevos verrucosos s. mollusciformes describunt, quum isti ab aliis doctis viris nomine mollusci simplicis denotentur.

Rayer \*) in verrucis recensendis eius quoque generis mentionem fecit, cui veteres nomen thymio indiderunt, idque ipse excrescentiam corii haberi vult.

Lessing \*\*) singularem verrucarum formam adumbrat, eo maxime insignem, quod earum superficies camplures exhibet papillas, tenui epidermide investitas. Atque inter eas quidem saepenumero exigua sebi cutanei adcervatim congesti obturamenta reperiuntur, quae crebro longius ac penitus in verrucae substantiam, tamquam in folles pertinent seque immergunt, unde verisimile est, ea in cryptis cutis valde dilatatis fixam sedem habere. Doctissimus ille vir structuram eorum cum condylomatis comparat; saepe fieri videtur, ut congenita sint; interdum, ut singuli ac dispersi crines in superficie eorum nascantur.

Kraemer \*\*\*) et ipse tumores verrucis similes commemorat, quos in numerum molluscorum referendos esse censet. Atque isti quidem in inguinibus, haud raro in facie occurrunt; accedit tamen etiam nonnumquam, ut in aliis corporis partibus animadvertantur. Quorum si superficiem inquiras, cryptas cutis dilatatas conspicias licet, et eas saepenumero comedonibus obstructas.

Simon †) eos communi appellatione verrucarum molluscarum comprehendit eosque simul cum naevo lipomatode, acrochordo nonnullisque eiusdem speciei formationibus

\*) Rayer: Theoretisch-praktische Darstellung der Hautkrankheiten v. Stannius. Berlin 1839.

\*\*) Lessing: Symbolae ad anatomiam cutis pathologicam. Halis 1841. p. 24.

\*\*\*) Kraemer: Ueber Condylome und Warzen. Göttingen 1847. p. 64.

†) Simon: Hautkrankheiten durch anatomische Untersuchungen erläutert. Berlin 1848. p. 216.



tamquam tumores telae conjunctivae in cute conjungi vult. Quum praeterea eos tabulis nonnullis exprimendos curaverit, ex iis haudquaquam dubium esse potest, quin ea mala plane eadem habenda sint. Atque ab hoc quoque doctissimo viro commemoratur, folliculos pilorum et comedones in eorum superficie deprehendi.

Doctissimus de Baerensprung\*), quo duce et auctore benevolo has res diligentius observandi peroptatam occasionem nactus sum, amplius viginti eo de genere exempla animadvertit, quo in numero sex casus tumores in monte Veneris (quinque in mulieribus. unus in viro), duo in scroto, reliqui in variis aliis corporis partibus praebebant, ita tamen, ut numquam malum neque in manibus, neque in pedibus reperiretur.

### SYMPTOMATOLOGIA.

Acrothymion formam tumorum subrotundorum exhibet, qui partim singuli ac dissipati, partim frequentes et congregati inveniuntur, et varia utuntur amplitudine, ut a pisi usque ad ovi vel columbini, vel etiam galinacei magnitudinem crescant. Plerumque autem fit, ut latiore basi inhaereant, quae tamen etiam in petioli formam coangustata esse potest; saepe illud etiam accidit, ut formam planam fimbriarum similem praebeant. Superficies eorum non laevis est, sed moriformis apparet, quum compluribus papillis aut subrotundis, aut oblongis contacta sit, quae modo bullae acus, modo pisi magnitudinem exhibent. Atque istae papillae et ipsae aut latiore aut petiolata basi insidere queunt; quod extremum ubi usuvenit, superficies quasi minutis quibusdam polypis instructa conspicitur. Epidermis, qua quum illae papillae, tum superficies universi tumoris investitae sunt, numquam concrassata, sed indole prorsus normali praedita apparet, saepius etiam ita affecta, ut coacerbatione pigmenti fusci vel atrii colorata sit. Quod si minus ita est, tumores aut colorem cutis prospera valitudine fruentis aut speciem lutulente coeruleam ostendunt, quae res ex evolutione vasorum sanguineorum satis copiosa pendere solet, et effecit, ut illis tumoribus nomen thymio, thymo imponerentur. Inter illas papillas, quae sulcis et scrobiculis inter se disjunctae sunt, crebro substantia sebacea invenitur, quae modo tamquam stratum aequabile, supra injecta et extensa est, modo sub forma obturamentorum exiguorum et cylindri speciem exhibentium exprimi potest. Quam quidem si abstuleris, facile videre possis scrobiculos follium similes usque in internam tumores partem propagari. Saepenumero etiam evenire solet, ut ex istis scrobiculis crines longi et crassi proficiscantur, qua ex re facile est cognita, istos nihil aliud esse, nisi dilata-

\*) de Baerensprung: Beiträge zur Pathologie und Anatomie der menschlichen Haut. Halle. p. 78.



tos folliculos pilorum et glandulas sebaceas. Jam vero illa substantia, posteaquam remota est, brevi tempore tenuo procreatur; quapropter eam quasi steorrhoeam quandam possis existimare. Haud raro accidit, ut praeterea tenuis liquor secernatur, quo superficies perpetuo madida conservari solet.

## AETIOLOGIA.

Isti tumores, in quibus illustrandis nunc versamur, in diversissimis corporis partibus deprehenduntur: quippe quas animadvertere liceat vel in crinita capitis parte, ubi facile cum tumoribus cysticis confunduntur, vel in facie, ubi persaepe margini alarum nasi inhaerescere consuerunt, vel in pectore, vel in tergo; praecipue vero frequentissimi prope genitalia, in crinito monte Veneris inveniuntur; rari contra in extremitatibus apparent. Ac per se quidem haud magnam dolorem movent, et saepe vel per multorum annorum decursum, vel per totam vitae aetatem nullas mutationes perpetiuntur. Nonnumquam tamen accidit, ut aut scabendo, aut pectinis dentibus, aut cura irritante et male adhibita magnopere laedantur, ac tum facile in inflammationem et exulcerationem transeant. Hoc extremum ubi incidit, pertinaces quidam tumores existunt, quae quum in profundiorem regionem tum in peripheriam propagantur, naturamquae carcinomatosam simulant.

Jam ut ad originem horum tumorum explanandam veniamus, interdum videntur congeniti esse; saepius vel inter primos aetatis annos, vel in maturiore et perfecta aetate demum evolvuntur; certo multo frequentiores in hominibus adultis, quam in infantibus reperiuntur, aut aetate iam provecta demum in luculentam magnitudinem augescunt. Ac prima quidem in evolutionis periodo tumores noduli speciem ostendunt plani et ultra superficiem cutis aut nihil omnino, aut dumtaxat parum prominentis. Sensim vero vehementius prominere coeperunt, idque dum efficitur, eodem tempore superficies eorum iniqua evadit. Jam prominentiae planae aut dimidii globi similes finguntur, et quo longius tumor ultra cutis superficiem sese effert, eo magis singulae istae eminentiae formam globosam capiunt. Denique ubi gravissima tumoris massa ultra cutis vicinae superficiem prominuit, haec cutis circa basin tumoris magis magisque arcte constringitur et petiolum magis minusve tenuem efficit. Hoc quidem si accidit, tumor polypi formam assumpsit, et ipse polypum exhibet; petiolata enim forma vel maxime aut solummodo id signum est, ex quo polypi naturam cognoscere possis. Fibroides, lipomata alique tumores, qui in membrana mucosa uteri, intestinorum, faucium, narium aliarumque partium nascuntur, ita praecipue polypi appellantur, si basi coangustata, id est quasi quodam petiolo instructa sunt, quamquam secundum structuram minime ab eis tumoribus differunt, qui in tela



membranae mucosae evolvuntur. Eodem modo fibroides, tumores cystici, telangiectasiae, quae in tela corii nascuntur, dummodo basi angustiore et petiolo simili insideant, polypi cutanei et perhibere possunt, et re vera sunt.

Ut vero ad causam istius constrictionis sensim progredientis exponendam veniamus, veri plane simile videtur, eam cum cutis normalis contractilitate cohaerere. Substantia fibroides, quae in tela corii evolvitur, naturalis illius contractilitatis expers est, ac potius cutem finitimam similiter ut corpus alienum afficit. Quum autem illius elasticitate perpetuo tumor male afficiatur, ille magis magisque superficiem versus depellitur, ut postremo cutis infra posita arctius canstringatur eaque ratione petiolatam basin efficiat. Quod quidem eo facilius fieri potest, quo laxius telae incolumis et male affecta inter se conjunctae sunt. Quae quum ita sint, jam hinc quodam modo apparet, illum processum neutiquam externae cutis solius proprium esse; sed potius omnibus iis locis occurrere solet, quibus producta pathologica prope liberas superficies collocata sunt; quam qua de causa etiam membranarum serosarum et mucosarum communis videri debet. Petiolati autem uteri, intestinorum, similium partium polypi, qui modo internae modo externae organi superficiei insident, semper principio in ejus substantia evoluti sunt, atque ex hoc ipso constrictionis processu petiolatam suam formam repetunt. Atqui ex iis, quae modo breviter exposuimus, luculente apparet, qua re ii tantum tumores, qui in ipsa cutis tela, non qui in ejus superficiei nati sunt, id est non papillares tumores huic processui obnoxii esse queant; hoc videlicet inde repetendum est, quod nisi solidiores et firmiores cutis contractilitate affici non possunt. Petiolata forma tumorum papillarium, ut exemplo utamur, condylomatum acutorum non tam constrictione, quam luxuriante proliferatione superficiei ejus nascitur.

## STRUCTURA ANATOMICA.

Principalis tumoris massa in dissectionis superficiei colorem exhibet e cineraceo rubescentem, aequabilis et splendoris expers est et consistentia solida et prope cartilaginosa utitur. Microscopio si utaris, in principali substantia deformi et pellucida magnam copiam nucleorum granulatorum, qui aut subrotundi aut elliptici apparent, diametro c. 0,0025''' praeditorum animadvertas licet; qui prope inter se conjuncti sunt, vi acidi acetici magis magisque pallescunt ac ne in libero quidem margine subtilium dissectionum membranas cellulosas ostendunt. Inter eos nucleos, perpetuo tamen satis magna copia alios nucleos conspiciere possis angustos et subulatos 0,005'''—0,01''' longos et 0,001''' latos, qui nonnumquam vehementer producti apparent atque quum nonnulli eorum in api-



cibus se cum invicem conflentur, in elasticas quae vocantur fibras transeunt, quae tum e forma ramificata et saepe spiraliter flexa facile certo dignoscuntur. Quodsi tela hanc indolem exhibet, tum elastica vi vehementer caret neque discindi potest, nec quidquam aliud nisi in frustula inaequalia et abnormia dirumpitur. Sin autem alia indoles apparet, tela facilius discindi potest, consistentiam solidioris laridi exhibet, specie utitur lactea, et levi quodam splendore atque in dissectionis superficie non plane aequabilis sed striata et fibrosa conspicitur. Hoc autem loco plerumque circa nucleos subrotundos, quorum paulo ante fecimus mentionem, jamjam membranae cellulosa conformatae sunt, quae speciem fusiformem ostendunt, parallela cum longitudinalibus suis diametris directione decurrunt et tamquam elementa et primariae partes telae conjunctivae magis magisque crescentis facile dignoscuntur. Istius autem structurae indoles tum praecipue dilucide perspicitur, quum exiguae illius telae particulae acido acetico madefiunt, cuius opera et vi principalis substantia et membranae cellulosa prorsus pellucidae evadunt, quum nuclei atque inprimis fibrae elasticae eo acrius et luculentius sub oculorum adspectum subjiciantur. Jam haec tela fibroides in universam corii crassitudinem, ut ita dicam, insinuata apparet. Sulci vero, qui superficiem in complures loculos dispertiuntur, inde maxime proficisci solent, quod in eis cutis cum tela subjecta arctius concrevit, quum loca inter eos interjecta per substantiam recens formatam dilatata et fornicata appareant.

Vasa sanguine saepenumero dilatata sunt; quid quod nonnumquam etiam similiter ut telangiectasiae diverticulis coecis praedita esse possunt.

Substantia sebacea, quae aut strati aequabilis, aut complurium obturamentorum cylindricorum forma induta animadvertitur, ex elementis sebi cutanei, videlicet ex adipe et cellulis epidermidis consistit, illud quidem ita, ut forma guttularum praecipue granulorum appareat.

In fundo autem illorum sulcorum scrobiculi inveniuntur dissipati atque infundibuliformes, 2—3<sup>'''</sup> longi, quos facile folliculos pilorum dilatatos esse cognoveris. Aut etiamtum pilum continent, aut excidentem jam amiserunt, si dilatatio usque ad fundum scrobiculi progressa est. Semper vero frequentes glandulae sebaceae orificiis in eos infunduntur, qui vel magnitudine vel copia a recta norma discedunt, vulgo 6—10, interdum etiam 18 occurrunt. Quae quidem glandulae plerumque longe porrectae, vel formae uvarum simili ita praeditae sunt, tamquam complures alia post aliam deinceps suspensae essent; cellulae earum globulis adiposis confertae sunt.

Eodem tempore simul glandulae sudoriferae hypertrophicam depravationem ostendunt. Vulgo accidere solet, ut aliqua earum caterva prope infra tumorem collocata sit, aut fibroide eius tela concludatur. Ista iam glandulae saepenumero diametro 0,25<sup>'''</sup>—0,5<sup>'''</sup>



utuntur, quum doctissimi Krause sententia illa diametrus tantum 0,16''' continere existimetur.

Haec autem voluminis amplificatio ipsius glandularum folliculi dilatatione nititur. Exiguae illae cellulae clarae et subrotundae, quae integris glandulis sudoriferis contentum canalisi efficiunt, hoc loco perspicuitate sua spoliatae granulatae et obscurae apparent, ita ut lineamenta earum nisi peraeque et difficulter dignoscere nequeas.

Papillas corporis papillaris plerumque incolumes omnisque mutationis expertes in superficie singulorum lobulorum tamquam minutas eminentias colliformes animadvertere possis. Raro fieri solet, ut longitudinis mensura augeatur.

## HISTORIA CASUUM NUPER OBSERVATORUM.

1. In thorace mulieris cujusdam longius iam aetate provectae inter utramque mammam luculentus istius modi tumor tenui petiolo insidebat; cujus externa superficies planum orbem exhibebat, qui in margine tantum exiguis verruculis polyposis instructus, media autem in regione, quae paululum depressa apparebat, strato crassiore substantiae sebaceae contextus erat.

2. In homine octo et viginti annos nato, qui mercaturae operam dabat, prope verticem in cute capitis crinium copia hirsuta ejusdem generis tumor apparebat, qui lato fundo insidebat et in magnitudinem dimidii ovi columbini creverat, cujusque exstirpatio idcirco maxime postulabatur, quod saepenumero, quum pectinis dentibus percuteretur, acerrimos dolores commovebat, sanguinem mittebat atque exinde exigua quadam crusta cooperiri et in superficie exulcerari consueverat. In exstirpatione, in qua universa cutis pars, quae degenerationis vi corrupta erat, usque ad galeam solvebatur et removebatur, sex arteriae sanguinem fundebant, ita ut haud exigua sanguinis jactura consequeretur, donec illae vel tortae, vel subligatae, vel marginibus vulneris post modum copulatis acum Carlsbadensium ope adhibita sua sponte sanguinare desinerent. Vulnus ipsum 1' 5'' longum, 1'' latum erat. Quum vero capitis cutis minus cederet, haud quam nobis conandibus contigit, ut acubus injectis vulneris margines sibi invicem perfectae appropinquaremus; unde factum est, ut vulnus medio in loco circiter in 3''' latitudinem dehisceret. Quae etsi ita erant, tamen sanatio perbrevis tempore consecuta est, cum nulla suppuratio copiosa incidisset.

Führer\*) subtiliorem structuram nonnullorum exiguorum tumorum explanat, qui partim ab ala narium mulieris cujusdam, partim a cute capitis infantis erant exstirpati.

\*) Führer: Zur Morphologie der Hautdrüsen. Deutsche Klinik. Mai 1850.



In eis vero degenerationem glandularum cutanearum sitam esse perspexit, in illis quidem hypertrophiam sebacearum in his extremis sudoriferarum glandularum. Inter meatus glandularum dilatatos et frequentibus diverticulis instructos tela conjunctiva hypertrophica sese evolverat.

Bührig \*) casum aliquem mollusci simplicis uberius describit, quem Jüngken tamquam degenerationem cutis significaverat. In viro tres et viginti annos nato, qui ceteroquin integra corporis valetudine fruebatur, inde a tertio aetatis anno in tota anteriore thoracis superficie permulti tumores procreati erant, qui a pisi usque ad ovi columbini magnitudinem variabantur, quosque si descriptionis et tabulae adjunctae rationem habeas, perfecte hunc in locum referri et hinc potissimum capiti subjungi oportet. Jam isti tumores subrotundi erant et partim angustiore petiolo, partim latiore basi insidebant, in superficie vero et iniqui et papilloso apparebant. Ceterum annis multis decurrentibus non sane magnam mutationem experti erant, praeterquam quod volumen aliquantum creverat.

Lebert \*\*) aliquot in casibus adumbrandis versatur, quos quum perspicue huc trahendos esse appareat, multi perperam carcinomata fuisse existimaverunt. Minutus quidam tumor cerasi fere magnitudine in pectore viri se evolverat ac per duodecim annos plane incolumis manserat. Postea vero inflammationis vi exarsit et crusta subatra et arctissime adhaerente obductus est, qui nihil aliud nisi elementa epidermidis et puris continebat. Tumor exstirpatus e multis exiguis lobulis communi basi praeditis consistebat, qua in basi vascula et cellulae fusiformes inveniebantur. — In muliere 51 annos nata exiguus tumor, qui nullum sane dolorem excitabat supra os pubis natus erat. Magno deinde labore et corporis contentione irritatus vi inflammationis exarsit, acriores dolores afferebat et vehementi celeritate in circuitum 4" ac paene in eandem altitudinem amplificatus est. Jam vero exstirpatione adhibita formam lobulatum et prope brassicae botryitidos similem exhibebat; superficies tenaci et lutulento liquore obducta apparebat. In tumore ipso praeter vasa illic posita hypertrophiam glandularum sebacearum telamque conjunctivam recens formatam animadvertere licebat. Lobuli illi, qui pro papillis cutis hypertrophicis habebantur, normali epidermide erant investiti.

Eodem addenda est doctissimi Mayor \*\*\*) auctoritas, qui istiusmodi casum in viro duobus et quadraginta annis nato observatum describit; hoc videlicet loco in sinistra narium ala nodulus procreatus erat, qui paulatim universam eius crassitudinem occupavit,

\*) Bührig: Deutsche Klinik. October 1851.

\*\*) Lebert: Physiologie pathologique. Tom. II.

\*\*\*) Mayor: Bulletin de la société anatomique.



atque in inferiore parte exulceravit. In eo nodulo item nihil aliud nisi elementa epidermidis et telae conjunctivae reperta sunt. Tumor prima exstirpatione non satis perfecta absoluta iterum revertit.

## DIAGNOSIS.

Diagnosis hujus mali plerumque nullam prorsus difficultatem praebet. Confundere illud non possis, nisi cum propriis quae dicuntur verrucis, cum acrochordis, cum tumoribus cysticis, vel cum certis quibusdam naevi formis. A vulgaribus verrucis acrothymion primum eo differt, quod verrucae propemodum nulla alia in corporis parte nisi in manibus occurrunt, ubi acrothymion numquam observatum est; deinde quod verrucae posteaquam per breve tempus aut diutius perseveraverunt, sua sponte evanescere solent, quum acrothymion, ubi semel exortum est, minime sua sponte ipsum removeatur; tum quod in verrucis epidermis concrassata est et processus vaginalum similes ultra papillas productos pertinentes efficiat, quum e contrario in acrothymio neque epidermis cancrasata, neque papillae nisi parum productae appareant. Horum signorum si summam concipere velis et facilem conspectum exhibere, hoc fere discrimen invenias: ut verrucae in corporis papillaris, acrothymion in ipsius corii degeneratione posita sint.

Jam vero aliquanto difficilius est, malum ab eis verrucarum formationibus discernere, quae in facie, in labris, in narium alis vel in aliis corporis partibus nonnumquam observantur et nominibus spuriorum carcinomatum labiorum vel scirrhorum epidermoidalium significari solent. Veruntamen in his quoque epidermis semper conditione hypertrophiae vel corneae concrassationis utitur, id quod in acrothymio numquam accidit.

Ab acrochordo natura acrothymii eo discrepat, quod illius superficies laevis, hujus lobulata et iniqua est. Illius consistentia flacca et mollis, hujus solida et pulposa apparet; acrochordon numquam, acrothymion propemodum semper crinibus obductum est, in illo folliculorum pili et glandularum cutis degeneratio perspicua est, simulque illud plerumque tenuiori petiolo inhaeret, quum hoc extremum vulgo latiore basi insideat; acrochordon vasis sanguinolentis prope caret, acrothymion abundat.

A myrmicia acrothymion nulla alia re nisi forma petiolata differt, quae in illa nusquam deprehenditur. Quamquam ea differentia haud magni momenti est, quum supra satis demonstraverimus, quemadmodum acrothymion formam suam nanciscatur. Praeterea myrmicia humilioris duriorisque formae est. Ceteris in rebus maxima apparet utriusque mali similitudo.



A tumore cystico sebaceo acrothymion ita praecipue distinguere placet, ut ille etiamtum plane intra cutem collocatus sit, hoc extremum ultra superficiem promineat, ille laevis, hoc lobulatum sit. In superficie tumorum cysticorum plerumque orificium unius tantum cryptae cicatrice obducto, vel etiamtum apertum cognoscere possis, in acrothymio plures eas plerumque vehementer dilatatas licet animadvertere.

A naevo pilari et vasculoso, materno lipomatode idem lobulata superficie, prominentia longius producta, pallidiore colore, omni erectibilitate deficiente discrepat.

## PROGNOSIS.

In acrothymio prognosis semper faustis auspiciis utitur, nisi forte tumores vel mechanicis detrimentis vel mala curatione ad degenerationem carcinomatosam aut gangraenosam inclinant, vel si acrothymion homini aegroto acres dolores attulit, simul vero tanta copia existit, ut exstirpatione cultri ope adhibenda vulnus nimis amplum necessarium esse videatur, ut in casu a Bührig descripto.

## THERAPIA.

Quum acrothymion vera degeneratione et nova formatione telarum cutis nitatur, consentaneum videlicet est, remedia pharmaceutica nisi levem et perexiguam vim exercere non posse. Nec vero fieri potest, ut tumor resorbentibus intus aut extrinsecus adhibitis dissolvatur. Quodsi acrothymion minutum dumtaxat est, vel obtectis corporis partibus insidet, si aegroto homini nullas molestias affert, nihil omnino opus est, ut medici curam singularem ei adhibeant. Sin autem in facie, collo, cervice, crinitis capitis partibus inhaerescit, ubi venustae et decorae hominis formae multum officere videtur aut si in exulcerationem progressum est, sola exstirpatio relinquitur, in qua omne mali auxilium quaerendum sit. Atque fieri sane posset, ut acrothymion causticis remediis destrueretur, famen istiusmodi negotium exsequi propter naturam tumoris vehementer prominentis et perquam difficile esset, et acerrimis doloribus permolestum; qua in re ne id quidem negligendum esset, quod certo luculenta cicatrix relinqueretur; postremo accedit quod doctissimi Lorry sententia magnopere metuendum esset, ne inde carcinomatosa degeneratio exoriretur. Quodsi tumor tenuiore petiolo insidet, nonnullis profecto casibus videtur satis esse posse, eum forfice prope basin exsecare. Quum vero plerumque degeneratio etiamtum in cutem propagetur et plerique talium tumorum lata basi nitantur,



nihil aliud indicatur, nisi ut excisionem cultri adjumento exsequaris. Eam vero institui oportet secundum communes leges, quae ad omnes tumores in superficie positos aequabiliter pertinent: optime id facere possis duobus intersectionibus lanceolatis, quarum arcus concavi in se invicem spectant, quibusque basis tumoris caute circuitur. Una sane difficultas hujusce operationis in sanguinis effusione nonnumquam copiosa est posita, cui propter tumoris parvitatem et vasorum evolutionem, quae non adeo magna esse videtur, medici non satis parati esse consuerunt. Interdum necesse est, plures arterias subligari; tumor confecta operatione magnopere collabitur; sanatio omnibus partibus aegrotis recte remotis celeriter consequitur.



## V I T A.

Natus sum ego Fridericus Otto Beeck Halis die X mensis Martii anni h. s. XXVII patre Friderico Guilelmo, matre Ernestina e gente Poppe, quos, ut deus maximus diu adhuc mihi conservet, in dies oro atque rogo. Fidei addictus sum evangelicae. Primis literarum elementis imbutus per octo annos et dimidium gymnasia Halensia frequentavi et mense Octobris anni XLVII maturitatis testimonio instructus aliam literarum academiam Halensem adii, ubi ab Ill. Volkmann t. t. prorectore magnifico in civium academicorum numerum receptus sum, apud Ill. Krukenberg gratiosi medicorum ordinis decanum spectatissimum nomen professus sum.

Per quadriennium hisce interfui scholis:

Ill. Erdmann de logice et metaphysice, de psychologia. Ill. Germar de mineralogia. Ill. de Schlechtendal de botanice. Ill. Burmeister de zoologia. Ill. Steinberg de chemia anorganica, de chemia organica, de venenis metallicis. Ill. Schweigger de physice. Ill. d'Alton de anatomia speciali, de anatomia comparante, de arte cadavera rite dissecandi, de evolutione monstrorum. Ill. Meckel ab Hemsbach de encyclopaedia et methodologia medicinae. Ill. Friedlaender de historia medicinae, de pharmacologia, de arte formulas rite scribendi. Ill. Krahmer de pathologia generali. Ill. de Baerensprung de pathologia speciali, de arte auscultandi et percutendi. Ill. Volkmann de physiologia et evolutionis historia. Ill. Blasius de chirurgia, de akiurgia, de ossibus fractis et luxatis, de vulneribus partium singularum. Ill. Krukenberg de pathologia speciali. Ill. Hohl de theoria artis obstetriciae.

Scholis clinicis interfui medicis apud Ill. Krukenberg, chirurgicis apud Ill. Blasium, obstetriciis apud Ill. Hohl.

Quibus omnibus viris optime de me meritis summam habeo gratiam, neque unquam habere desinam.

Jam vero tentaminibus et philosophico et medico, atque examine riguroso superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

---



## THESES.

Egophonia nullum certum signum, quo exsudatum aquosum probari possit.

Quaeritur, num matris vita vitae foeti anteponenda sit, nec ne?

Unguentum mercuriale officinale supervacaneum est.

---

## INTERPRETATIO TABULAE.

*Fig. 1. 2. 3.* Exigui tumores, quorum imaginibus, quemadmodum sensim acrothymion progredia-  
tur, exprimitur. cf. pag. 5.

- a. e superna superficie conspecti.
- b. secundum dissectionis superficiem.
- α. glandulae sudoriferae tumoris basi insidentes.

*Fig. 4.* Imago maioris alicuius acrothymii in monte Veneris mulieris cuiusdam inventi.

- a. e latere.
- b. per dissectionis superficiem.
- α. glandulae sudoriferae.

*Fig. 5.* Maius aliquod acrothymion e crinito viri cuiusdam capite operatione adhibita remotum.  
cf. pag. 8. Nr. 2.

*Fig. 6.* Acrothymion petiolatum papillosum de mulieris pectore. cf. pag. 8. Nr. 1.

*Fig. 7.* Dissectio schematica, posteaquam microscopio subiecta est.

- α. glandulae sudoriferae admodum amplificatae.
- β. folliculi pilorum hypertrophici.
- γ. glandulae sebaceae tum numero, tum magnitudine hypertrophicae.

*Fig. 8.* Tela fibroides, quae e nucleis et fibris elasticis constat, microscopio adhibito reprae-  
sentata. cf. pag. 6.

---



Fig. 7.




Fig. 8.



Fig. 4.




Fig. 1.



Fig. 2.




Fig. 3.



Fig. 5.




Fig. 6.

